Matthiae Pauli Antichon coeli plaudentis, plangentis terrae.

ANTIECHON CÆLI PLAUDENTIS, PLANGENTIS TERRÆ, ad Æternitatis ingressum,

Perillustris olim, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. JOANNIS MICHALSKI,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, & PROFESSORIS, ECCLESIARUM COLLEGIATARUM, S. FLORIANI PRÆPOSITI, S. GEORGII IN ARCE CRACOVIENSI CUSTODIS, &c.

AD ÆDES S. FLORIANI,

In Frequentissimo mœrentiq; Ordinum Vniversitatis, Totiusq; Urbis concursu

Iambo dolente

RESONANS.



Operâ

M. MATTHIÆ PAULI CELEIOWICZ,

Philosophiæ Doctoris, Novodvorsciani Grammatices Professoris,

Anno Dñi 1694. Die 9. Septembr.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

ANTIECHON
Cœli plaudentis, plangentis terræ.


T hæc ne dulcis in cœlis amœnitas!
Et hi ne mentibus Sacris probi Sales!
Natare nostra corda tristi in lacryma
Vbi tyrannico dolore concita
Coguntur; in plausus serenos cedere?
Et immorari svavibus tunc otijs.
Nerone peius an recolligi potest
Quidquam? innocentem mille semper rictibus
Bibente sangvinem, tamen daturus in
Necem scelesti calculum, pennam petens,
De pectoris vocem medullâ protulit
Non nosse literas mihi sors optima
Dedisset! at cælis sitis quàm magna inest?
Cruore nostro pascitur Phœbus diu
Nec æstuans quando necare lumen hic
Potest: dolori indulgeamus si gravi
Tantalis, irritare cælos anxij
Vellemus. Ignem desuper fusus liquor
Pingvis domare non potest. Pro tristitia!
Pro torva nobis fata! pupillas mador
Per omne tempus occupat: nunquam datur
Ius lacrymis, sed optimum quod est legunt
Cæli: quibus, compagibus firmis velut
Mortalis inclusus, cavere non potest
Sphæras. IOANNES lege liber ne est ab hac?
Moratur ipse verba mœror, non tamen;
Vocavit in luctum medullas cordium,
Somno perenni marmori incubans, dies
Victurus omnes gloriâ, atq; sospite
Fama. Repanda falx Rosam florem Sacrum
Succidit, invidæ cruenta dexterâ
Mortis trahente; quæ ominata mollis ad
Cannas forum Annibalis, vrnam floribus
Stravit. Figuram Sanctitatis pendulæ
Terræ reliquisset IOANNEM, quem Parens
Natura magnis nobilem virtutibus

Expo-

Exposuit mundo, & ceu florem Rosæ
Rubore vestivit pudoris, innocens
Vitæ beavit portio; scientiæ nitor
Depinxit, atq; laudibus cælo intulit.
Hunc, literarum Sacra porticus probè
Virtute cultum stupuit, tum Virgines
Sacræ, Camœnæ; Apollinem Latonium
Dixere: rostra, Tullium svavissimum,
Stagyra, Divinum Platonem nominans
Eburneo pronus decoram vertici
Tulit coronam. Quàm canora tunc cohors
Parnassidum, vireta grata insederat!
Vbi virentis lilij candor, decus
Et roscidæ rosæ, cohærens pectori
Puro, triumphali florebat arbore.
O LAVREATE DOCTOR! ad quam inflecteres
Intenta partem, nescius tunc hæseras:
Fortuna nam Tibi favores maximos
Portare visa, Te magnæ modò Domûs
Ecclesiæ duxit modò constans amor,
POTOCIANÆ sed Tuam ROSAM Cruci
Subieceras; blandum vel à signo DEI,
Vel à cruore barbaro, fuso sub hoc
Vexillo, odorem vt sumeres. Pharos erat
Sed alti honoris, quam, laborum Tu mari
Expositus, deauratum non Iasonis
Vellus ferentem, creditam ventis ratem,
Verùm triumphati feri solemnibus
Hostis trophæis bellicam plenissimam,
Assumpseras Navem probè OPALINSCIAM
Tunc CHRISTOPHORVS Magnus OPALINSCIVS
Musis Sirakovênsibus Te Præsidem
Cordis levamen dulce & optatum velut
Dilexit, Illustres Tibi fastos piâ
Construxeras manu, timendas tristibus
Dimetiendo vrnas decorè pnêumatis,
Pennaque fecundâ; sonantibus pijs
Votis humanis ad stupendos publicos
Plausus, honoribus Piorum Antistitum
Litando. Porro fabricaturus Sacrum
Sacrarium immortalitatis, Asciam

 TARŁO·

TARŁOVIANÆ ſplendidum Domûs decus,
Septemtrionis atque totius Iubar
Aſſumpſeras. Tantis datus ſplendoribus,
Virtutis hic quantum Tuæ, quantum fuit
Odoris; en Magnus, penes quem adeſt minus
Regni Sigillum collocatum CAROLVS
TARŁO, atq; tota Auguſtæ Majeſtas Domûs
Referre prona. Quam Tibi excelſum opus hinc
Creviſſe gloriæ ſtupebat, tunc novo
Mens concitata gaudio magnæ rei,
Antiſtitem dum Maximum INNOCENTIVM
Bis ſextum, ad oras (quêis triumphos gignere
Virtus ſolet) noſtras Vicarium, inclytus
Sermone præcelſo ſalutavit Tuus
CAROLVS. Atq; dum Stagyritæ probè
Arcana textûs dogmata explicans, Sacrâ
Svaviq; lingvâ plurimis Scientiam
Impertiebas. Frontibus laurus Sacras
Quam contuliſti candidis multas frequens
In exedra, labor Tuus ſolus notat,
Dum ſvavis illam voce conſonâ Tuâ
Complere ſveveras: En hic quanto in gradu
Honoris hæſit, Purpuram, ſummum Sophûm
Appello ſplendorem, vices quam per duas
Deferre gratum erat Tibi. Phœbus mari
Albente fluctuum procellis lumina
Tollens rubentia, imbrium cauſam gerit,
Sic Tu Tuis dum purpuram ſudantibus
Portâſti humeris, effluos ſucceſſibus
Fauſtis amicæ ſortis favores Tibi
Prænuntiâſti. Poſt Iagellonis domum
Ingreſſus, altâ ſplenduiſti gloriâ
Muſæ: Sacris en applicatus Presbyter
Altaribus, zelo Deorum maximo
Pius flagrabas. Odrovazenſis Tuis
Exculta ſumptibus ſuæq; priſtinæ
Oblita cladis eſt, decora Eccleſia;
Per Te ſtat omne, quicquid elucens ibi
Cerni poteſt, aut tempus in longum integrè

Durare. Felix! cûi Sacris in ædibus
Locare ſpem famæ licet: trophæa tunc
Excelſa conſtruis, Sacras quando Deûm
Aras adornas. Gentibus Sanctus Pater
Solatium præſtans HYACINTHVS, Tuis
Votis flagrantibus datus, plebeculæ
Demittit alto gratiarum grandinem:
Tibi in coronam cedit, ad votum Pater
Dat quidquid Almus. Inclytæ ſed Tu Sophûm
Factus coronæ Præſes, Auguſta Pij
Antiſtitis MAŁACHOVI revinctus es
Sic Faſciâ, dignus vt omnibus Sacer
Apollo, voto certiore ſis bene
Viſus. Tuos ſemper ſecuta purpura
Greſſus, modeſtus Te niſi circumdedit
Senſus, reponens omnem honorem ingens ſuper
Factum Tuum, quodcunq; feciſti pius.
Dignos tamen ſuo nunquam favore honos
Eludit, & Te FLORIANI ſupparo
Ferendo dignum cenſuit, ſummum quoq;
Myſtam, Patres doctiſſimi concordibus
Dixêre votis; vnde ſemper ſumptuum
Splendor Tuorum magnus emicat Sacris
Altaribus, tectiſq; inhærens intimè.
Florentiæ protunc jubar reſplenduit
Noſtræ coruſcum, quando virtus candido
De pectore effuſa integrum circumdedit
Templum, dicatum FLORIANO MARTYRI,
Te greſſibus pronis ſecuta Matris en
Inſignia, & Sceptrum, poteſtas omnis &.
Hâc Sangvinis Tu portione quot Tibi
Parâſſe ſecla eras potens, quam muneri
Tuo ſacrabas, per laboris maximum
Pondus, lacertis jam ſenecta candida
Fluentibus: qui verba ſemper talia
Linguâ Paternâ volveras: Rectoris eſt,
Labore paſci non verò molli otio.
Legiſſe ſcripta fas erat cunctis, Tibi
Tunc vſitata, quêis quietem protinus
Spreviſſe Te denuntiabas: Non eum

B Lectus

Lectus cubantem detinet, Sceptrum cui
Concreditum. Sic grus velut cunctas vigil
Vna in profunda nocte custodit, Tua
Nos cura fovit, omnibus quæ maximè
Prospexit æquè rebus. At quantum mea
Referre votorum potest infirmior
Nunc Musa, quem lauru virenti cinxeras;
Excedit omne gratitudinis meæ
Pensum, quod ingens contulit mihi pius
Affectus. Ast quo Te volucris conferes
Penna ampliùs? laudum subest altum mare:
Vt exitu probamus acta postero,
Sic, quod latebat ante, fata detegunt;
Et, fama tunc petit Solis cubilia,
Dum corpus vrna contegit fædissima.
Illum ne scribis mille quem linguis diu
Orbis loqui debet IOANNEM Maximum?
Extremam in horam iam soporat lumina.
Nunc, crede Musa, me rapit magnus dolor,
Summus rapit mœror; trahuntur ossa dum
In triste marmor, Spiritus visit polum.
Ah triste clamor, quam sonat sub pectore!
Quando innocentes iam subintrant sidera
Manes. Avete ergo sacri nunc Cineres?
Quæ pristino vobis modò quæ cum statu
Proportio? Doctorum vbi magnum decus,
Mentis corona, spiritusq; ille Entheus
Notanda cedro proferens è candido
Verba ore; mors æquavit omne tristibus
Vmbris, quod à Te prodijt summum. Tibi
Nunc MATER ALMA vota quæ pius dabat
Concludit ante ferias mortis suæ.
O CHRISTOPHORE Magne SOWINSKI, Tibi
Oscilla figit tristibus cum lacrymis,
Eam sui Te linquit Ipse pectoris
Dulcedinem, nectar Dei, quam dixerim;
Te, vivus inter ima cordis proprij
Arcana condebat, supremas nunc petens
Sphæras, bonum portabit omen cælitùs.
Nunc PRACZLEWIC amoris in Te candidi

Nunc

Nunc PETRE terminum, Sororum ſancita
Trium tulêre, ſed pium pectus probè
Candore ſaucium Tuo, votum Tibi
Fert: ſempiternis Te coronent hîc Dij
Felicitatibus. IOANNES nunc Pater
Ergo pijs parentat Alma dum PARENS
Affectibus, dum pectus omne nubilo
Dolore lancinatum, amaris lacrymis
Immergitur; voto triſtem verſum meum
Definio: Procede felix omine
Vitæ, coronam pallidi prehende jam
Laboris, & capeſſe dulcem ſidera
Inter quietem. Pectus at ſummo Tibi
Dolore ſuppreſſum, parentabit diu,
Diuq; geſtorum canet cum lacrymis
Felicitatem. Non feretrum iam Tua
Aut vrna triſtis oſſa deferet, ſeu
Tenebit, aſt aras ad vſq; triſtibus
Votis ſequemur. Ergo dum cuncti Tuum
Innoxium ploramus occaſum, (cui
Gaudere mos eſt optimis) plauſum polo
Non inuidemus, aſt precamur maximum.

INSCRIPTIO
SEPVLCHRALIS LAPIDIS.

Exprimite lacrymas, ſed veras; lugentes Præficæ,
amaris luctibus gelidum hoc marmor in latices reſolvite,
Hîc ah jacet ille! & tacet,
Quem poſteritas feſtiua voce loquetur, gravis hic lapis premit.
Quippe locutus, quæ poſteritas mirari & adorare debet.
Ille, ah ille!
Perilluſtris, Clariſſimus, & Admodùm Rndus Dominus,
D. M. IOANNES MICHALSKI,
Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor,
Eccleſiarum Collegiatarum, Sancti FLORIANI
PRÆPOSITUS, S. GEORGII in Arce Crac: CUSTOS.

Vocem per auras diffundens, vltimam hodie cum ſpiritu emiſit, non amiſit.
Corda hominum vivo triumphare parum erat, ni Deum quoq; precibus vinceret.

Quid hoc eſt?

Vnam ſpirans animam, bis vixit,
annis & factis
Vtramq; diu, alteram æternùm extendit vitam
Nam annis longa, factis æterna memoria debetur.
Coronam vitæ, capillum nactus canum,
intra jacula mortis, mortem ridebat
in filijs animi, ſcriptis, & Doctoribus victurus,
Quos,
ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
PROCANCELLARIUS,
quinquies creavit, an genuit 131.
Dolendum! tam gravem & infeſtam fatorum invidiam!
quæ in vno capite innumera feriere corda.
Cecidit vnus, triſtantur omnes, gemunt plurimi;
& quos verus dolor occupat, in pectoribus Sarcophagū inſtaurāt.
Eheu! deplorandam mortalium conditionem!
cujus Nomen, & Orbem & faſtos implere potuit,
brevis vrna Illius toti corpori, vaſta eſt.

Quiſquis legis, cogita:

Quantùm mente capere vales, tantùm hoc tumulo recondi,
& pluries repetitis vicibus lege, & luge.
Nam tanto Viro parentare ſemel, nec dignum, nec ſatis;
Qui ſemel extinctus, quotidie videtur mori.
Toto Orbe tumulum, quia encomium habet,
& toto Orbe ſepultus jacet, quia Orbe toto claruit.
Ego monumento verba hæc immurmuro:
Vtinam vivam ego vt Ille,
tum demum vivam,
Exempli vivo, Orationum demortuo debitor.
Vixit Annos LXXIII. Menſem vnum.



